



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

XXI. De contumacibus & rebellibus subditis contra debitam obedientiam  
praelatorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

CLEMENTS P.V. RAVENNATE II. HENRICVS VII. IMP. 781

ANNO CHRISTI  
1311.

tur, sed omni spe promotionis in tota Rauen-  
nati prouincia per diœcesanum similiter exuatur:  
& nihil minus ipso facto sit excommunicatus,  
& omni priuilegio ecclesiasticæ protectionis ac  
defensionis exutus sit: a qua sententia non possit  
absolui, nisi per prouinciale Concilium, satisfa-  
ctione plenaria prius præstata, de patratis excessi-  
bus & commissis, & damnis illatis; & etiam sit  
inhabilis ad ecclesiasticum beneficium obtainen-  
dum.

## RVBRICA XXI.

Cum, iuxta propheticum oraculum, melior sit  
obedientia, quam victimæ, & inobedientium cul-  
pa cognoscatur ex poena inficta talibus ex nouo  
& veteri testamento, hoc minus considerant ho-  
nestatis ecclesiasticæ & famæ prodigi, qui præ-  
lati suis in superbiam elati, Behemoth in sua mali-  
tia & superbia imitantes, contra prælatos suos se  
erigunt, & contumaciter & pertinaciter eisdem  
obedire recusant; & quod est durius, ipsis detra-  
hunt, & hostiliter eos impugnant: statuimus er-  
go & arctius prohibemus, ne quis clericus sæcula-  
ris, vel religiosus de cetero contra prælatum suum  
se debeat superbe erigere, sed in iis quæ Dei sunt  
maxime debeat humiliter obedire: & qui contra  
fecerit, & tertio monitus non desisterit, cum Da-  
than & Abiron, quos propter inobedientiam ter-  
ra viuos absorbut, partem consequantur & for-  
tem: & nihil minus, durante contumacia, post-  
quam publice denuntiatus fuerit ab omnibus, & in  
omnibus evitetur, & ab officio & beneficio, do-

Ffffff ij

nec resipuerit , & plenarie satisfecerit , & ad man-  
data prælatorum suorum redierit , sit suspensus.

ANNO  
CHRISTI  
1511

## RVBRICA XXII.

Cum , secundum canonicas sanctiones , vnuſ-  
quisque in vocatione , qua vocatus se dignoscitur ,  
debeat permanere , hoc minus considerat Sarrabai-  
tæ & apostatæ , ordinum mendicantium maxime ,  
qui plerumque in suarum animarum periculum ,  
religionum & obseruantiarum , & fidelium scan-  
dalum , de ipsis religionibus exeunt , & ad officia &  
beneficia ecclesiastica se ingerunt impudenter . Vo-  
lentes igitur talium saluti succurrere , & salutari re-  
medio prouidere , statuimus , & districte prohibe-  
mus , vt nulli apostatæ , & maxime mendicantium  
ordinum , de cetero admittantur , vel recipientur ,  
vel eligantur in ecclesiis sacerdotalibus , vel regulari-  
bus , seu ad diuinum officium , non obstante , seu  
eis alicuius excusationis patrocinium afferente ,  
quod ab obseruantia suorum ordinum fuerint ab-  
soluti , vel datam eis licentiam quamcumque a præ-  
latis eorum habuerint , ad religiones alias , vel ob-  
seruantias transeundi , vel beneficium curatum ac-  
ceptandi , siue obtainendi . Et qui contra fecerint ,  
ipso iure ab officio & beneficio sint suspensi ; a qua  
suspensione non possint absolui , nisi in Concilio  
prouinciali prius satisfactione præstita , cum effectu  
ad metropolitani arbitrium : & talium receptio , si-  
ue ipsius facta promissio sit irrita ipso iure : & ab ip-  
sis beneficiis , dignitatibus , personatibus , rectoriis ,  
ministeriis ecclesiasticis , & congregationibus dicti